

*Nab. 30.*



*Nab. 30.*



36.

8574

DISPUTATIO DE LIBERO  
ARBITRIO, HABITA IN  
Academia Francofordiana.

Præside  
Andrea Musculo D.



FRANCOFORDIAE AD  
Oderam, Anno 1575.

3674





# DISPUTATIO DE LIBERO ARBITRIO.

## I.



*L*iberi arbitrij vocabulum scripturae sa-  
cræ ignotum, à Pelagianis excogita-  
tum, postea à Scholasticis & Monasticis  
Doctoribus in Ecclesiam introductum,  
quod & hodie suos habet propugnatores, sub instau-  
rata doctrina fidei & Euangely luce accensa, dicitur  
esse vis voluntatis, quæ potest à seipsa velle &  
nolle, verbum & opus Dei.

## I I.

Seu dicitur esse facultas & potentia intelle-  
ctus, voluntatis, & affectuum, qua homo rationalis  
» hanc suam vitam, regit, & regere potest, iuxta  
humanae voluntatis decretum, non solum in rebus  
politicis & Oeconomicis, verum etiam spiritualibus  
» & diuinis.

## I I I.

In hac vero significatione sumptum, facit ex  
» homine Deum, voluntate & potestate sua agentem,  
& exequentem ea, quæ ad vitæ æternæ heredita-

tem parandam & consequendam pertinere videntur.

III.

*Lib. arbitrii  
nomen diuini*  
Est enim hoc ipsum liberum arbitrium nomen planè diuinum, non homini, sed soli maiestati diuinæ competens, ea enim sola potest & facit omnia, quæ vult, in cælo & in terra.

V.

Sequitur ergo liberum arbitrium, neq; in homine neq; in Angelo, aut vlla creatura esse, nec esse posse.

VI.

*to min car  
nim ferri  
carnate.*  
Deo ergo soli liberum arbitrium relinquimus, homini non nisi: seruum arbitrium tribuimus, Deo soli gloriam faciendi quæ vult, in cælo & in terra, homini vero confusionem faciei, peccatum, & seruitutem peccati damus.

VII.

Cælesti ergo voce diuinæ & summæ Maiestatis edocti, scimus, confitemur, & dicimus, omnem hominis cogitationem (postq̄ originale malum, in mundum, & in omnes homines ingressum est) seu ipsum figmentum cogitationum cordis humani, intentum & inclinatum tantum ad malum esse, omni tempore, ab ipsa etiam adolescentia.

Sic

V I I I.

*Sic cum scriptura dicimus, hominem nihil esse nisi peccatum, in peccatis conceptum & natum, ad bonum plane mortuum, malum tantum concupiscere & velle, & ex seipso sibi esse causam interitus.*

I X.

*Dicimus ergo liberum arbitrium nihil esse, & rem de solo titulo.*

X.

*Non enim Animalis, siue Adamicus homo, hoc suo vano & commentitio arbitrio, quicquam boni velle, facere, appetere, imo ne cogitare quidem potest.*

X I.

*Sic nec cogi se patitur ad bonum, si autem cogitur, rapitur in diuersa, & coactionem sui odit.*

X I I.

*Malum autem semper cogitat & concupiscit, ac contra legem Dei hostiliter militat, semperque nititur in vetitum & contrarium.*

X I I I.

*Sint sane aliquo modo, & secundum quid, naturalia integra, spiritualia vero non tantum corrupta, sed plane extincta sunt.*

X I I I I.

Adeo, ut in homine post lapsum, & nondum renato, nihil sit, quam intellectus deprauatus, & voluntas inimica & repugnans Deo, quæ nihil cogitat, quam ea, quæ contra Deum sunt.

X V.

Pendet ergo salus hominis peccatoris, extra vires & consilia ipsius, in solius opere Dei.

X V I.

» Sine opere & spiritu Dei, homo animalis est  
» simpliciter sub Deo huius seculi, captiuus ad ipsius  
» voluntatem.

X V I I.

Mera itaq; sunt figmenta Pelagiana, & vanæ Scholasticorum imaginationes, quæcumq; docentur & fiunt, ante conuersionem & gratiam, pro gratia consequenda.

X V I I I.

Habet enim se homo in opere conuersionis, merè passiuè, & est subiectum tantum patiens, atq; est in manu Dei, sicut lutum in manu figuli.

X I X.

Actiue vero potentie nihil est in homine, nisi indispositio & rebellio aduersus gratiam, sine Spiritu sancto & sine gratia.

Ac



## XX.

*Ac nihil nisi peccare potens, progreditur de peccato in peccatum, in infinitum.*

## XXI.

*Quando etiam malum malo accedit, ut sanam doctrinam non sustineat, & verbum salutis repellat, ac resistat Spiritui sancto, tunc fit hostis Dei, & blasphemat Spiritum sanctum, & sequitur desideria cordis sui.*

## XXII.

*Nec praeunte quidem gratia, comitatur propria corrupti hominis voluntas, nec potest ex se, & suis viribus, assentiri promissionibus Evangelicis.*

## XXIII.

*Nec vetus homo iuuatur à Spiritu sancto, ut sua Adamica voluntate, assentiatur verbo praedicato & audito.*

## XXIII.

*Deus vero solus operatur & efficit in ipso, velle & assentiri, omnemque ipse suam sufficientiam habet ex Deo.*

## XXV.

*Hec itaque voluntas, qua homo assentitur verbo praedicato, non est veteris hominis, sed Dei opus, nam hanc voluntatem creat & efficit Spiritus sanctus*

sanctus, qui & omnium aliorum motuum spiritua-  
lium ac donorum, author ac donator est.

XXVI.

Cum post conuersionem igitur homo nouas vires  
accepit, tum sane assentitur & cooperatur, sed se-  
cundum nouum hominem è supernis natum.

XXVII.

Vetus homo tamen carnali suo arbitrio, perpetuo  
concupiscit & militat aduersus spiritum, vt ante,  
sic etiam in, & post conuersionem.

XXVIII.

*N.B.* Quicquid ergo scriptura homini in opere rege-  
nerationis ac renouationis tribuit, hoc non veteri,  
sed nouo homini asscribit. *conuersionis.*

XXIX.

Sic & diuus Paulus distinctè semper in suis  
Epistolis de vtroq; loquitur, vtriq; suum tribuens  
dimensum.

XXX.

*Novus homo.* Nouum dicit delectari lege Dei, seruire legi  
Dei, superna quæerere, conuersationem habere in  
cælis, renouari in dies singulos, viuere sine lege, sed  
non sine lege Christi, sufficientiam suam habere ex  
Deo, omnia posse in eo qui ipsum confortat, agi à  
Spiritu Dei, seruire Deo, non in vetustate, sed in  
nouita-

nouitate spiritus, conditum esse in Christo Iesu ad  
opera bona, Fructificare in operibus bonis, cupere  
dissolui, expectare redemptionem corporis.

### XXXI.

Veterem autem e contra ait inimicitiam gerere  
aduersus Deum, luctari contra spiritum, seruire  
legi peccati, in eo non habitare bonum, repugnare  
legi mentis, corripitur in suis desiderijs, habere cor la-  
pideum, esse seruum peccati, occasione accepta per  
praeceptum, in eo gigni omnem concupiscentiam, car-  
nalem esse, venundatum sub peccatum, captiuum le-  
gi peccati, non idoneum ex seipso quicquam cogita-  
re aut perficere, viuere secundum carnem, operari  
opera carnis, non velle exui, gemere oneratum &c.

### XXXII.

Ex hoc ergo, à Paulo posito discrimine, inter  
veterem & nouum hominem, scimus & credimus,  
» vitam noui hominis non esse vitam nostram, sed vi-  
tam Christi in nobis.

### XXXIII.

Hanc vero vitam non videri, sed audiri tan-  
tum (sicut ventum, qui vnde veniat aut quo vadat,  
nescimus) fieri quidem actiones noui hominis in car-  
ne, sed non venire ex carne.

B

In

### XXXIII.

*In hac vita etiam Christi in nobis, à Iohanne Apostolo docti, scimus, ex Deo natum non peccare, nec peccare posse, quia semen Dei manet in ipso, nec tamen quenquam ex renatis dicere posse, se peccatum non habere.*

### XXXV.

*Imo peccare dicimus iustum in omni opere bono, septies in die cadere, respectu veteris hominis.*

### XXXVI.

*Sic mundos in verbo, sanctos, iustos & immaculatos credimus, omnes è supernis natos, & nihilominus tamen orare quotidie pro remissione peccatorum.*

### XXXVII.

*Fundata hac confessione nostra supra petram firmissimam scripturam sacram, habentem quoque consensum Catholicae veteris Ecclesiae, non patimur, nos nouorum Pelagianorum impijs his vocibus & corruptelis ab illa auelli, nimirum.*

*Quod*

I.

Quod homo in sui conuersione aliquid agat, & vel modicula saltem vi liberi arbitrij sese applicet ad gratiam.

II.

Quod voluntas hominis animalis possit assentiri verbo prædicato & audito.

III.

Quod in conuersione tres causæ efficientes concurrant, verbum, spiritus, & voluntas assentiens.

IIII.

Quod liberum arbitrium ante conuersionem, habeat aliquam inclinationem ad bonum.

V.

Quod homo ex proprijs suis viribus, non solum attendere verbo, sed etiam hoc prædicatum capere, intelligere, & apprehendere possit.

VI.

Quod homo, sicut sibi est causa reiectionis, ita vel aliquam saltem causam præbeat Deo conuersionis & Iustificationis.

VII.

Quod principaliter quidem agat in conuersione  
B 2 Spiritus

*Spiritus sanctus, minus principaliter vires hominis naturales.*

VIII.

*Quod voluntas hominis habeat aliquam vim, potestatem seu libertatem, qua possit iudicare de rebus diuinis.*

IX.

*Quod in conuersione de necessitate requiratur voluntas non stertens aut ociosa, sed ex parte hominis cooperans.*

X.

*Ex his lacunis liberi arbitrij foetidis, manant & hi infernales Stygij riuuli, exitiosi animabus.*

I.

*Quod fides principaliter iustificet, minus vero principaliter opera.*

II.

*Quod fides cum tota nouitate vitæ iustificet.*

III.

*Quod fides & opera in iustificatione hominis in diuiduè sint coniuncta.*

*Quod*

I I I I.

Quod homo iustificetur ex imputata iusticia, & inchoata simul noua obedientia.

V.

Quod bona opera sint necessaria ad salutem.

V I.

Quod nemo vnquam sine bonis operibus sit iustificatus.

V I I.

Quod coram Deo necessaria sit duplex Iustitia, fidei, & bonæ conscientie.

V I I I.

Quod præsentia bonorum operum sit necessaria in iustificatione.

I X.

Quod noua obedientia sit causa formalis conuersionis.

X.

Quod opera fidem conseruent, augeant & perficiant.

B 3

Quod

XI.

*Quod tres sint partes pœnitentiæ, contritio, fi-  
des, & noua obedientia.*

XII.

*Quod noua obedientia sit pars salutis, & similes  
assertiones Pelagianæ.*





Maxentius in libro fidei.

Liberum autem naturale arbitrium  
ad nihil aliud valere credimus, nisi ad di-  
scernenda tantum & desideranda car-  
nalia siue secularia, quæ non apud De-  
um sed apud homines possunt fortassis  
videri gloriosa. Ad ea vero, quæ ad vi-  
tam æternam pertinent, nec cogitare,  
nec velle, nec desiderare, nec perficere  
posse, nisi per infusionem & inoperatio-  
nem intrinsecus Spiritus  
Sancti.

In nomine domini Amen

Libertatis unum est in christo  
ad illud quod dicitur in scripturis  
secundum quod dicitur in scripturis  
namque in scripturis dicitur non dicitur  
namque in scripturis dicitur non dicitur  
videtur quod dicitur in scripturis  
namque in scripturis dicitur non dicitur  
nec tunc nec dicitur in scripturis  
potest in scripturis dicitur non dicitur  
namque in scripturis dicitur non dicitur  
Sicut



Jg 3586

(X221 2504)

S.


magist. Georgii artium

i/15/yr.

Art.







30. 8574

DISPUTATIO DE LIBERO  
ARBITRIO, HABITA IN  
Academia Francofordiana.

Præsides  
Andrea Musculo D.



FRANCOFORDIAE AD  
Oderam, Anno 1575.

3074

